



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De honore habendo archidiacono & chorepiscopo, cum sedent in ecclesia
absente episcopo, & cum deambulant cum episcopo. Capvt LVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO CHRISTI
315.
& debet leuare episcopum hoc onere : archidiaconus enim præst vniuerso officio orationis , & per eum gubernari , & disponi debent quæcumque ad ecclesiam pertinent ; ne , si huic officio deficit , transferatur hoc iudicium & gubernatio ad sacerdotales . quæ quidem possit esse cauſa , vt merito clerici minus episcopum timeant , & potestas episcopi , & sacerdotum debilitetur , quia non possint tueri veritatem ; ex quo fiat , vt populus multa peccata incurrat , nec acquiescat iudicio in quo oporteat acquiescere ; & in vniuerso populo alii aliis placeant & non Deo , & hoc etiam populum ab oratione auertat . Canon sine excommunicatione .

Satis cum his congruant quæ de officio archidiaconi scripta sunt , c. ad hæc ab Innoc. & distinctione vigesima quinta , archidiaconi est præfæc*ti* ordinationi ecclesiæ . Conc. Agat. c. 23. archidiaconi officium suggerere episcopo constitutiones . Tolet. 1.c. 20. Tolet. 4.c. 3.

*De honore habendo archidiacono & chorepiscopo , cum sedent in ecclesia
absente episcopo , & cum deambulant cum episcopo .*

CAPVT LVIII.

Quando chorepiscopus & archidiaconus sedent in ecclesia , nullus sacerdos neque diaconus ecclesiæ , neque cuiusvis alterius gradus clericorum audiat sedere supra illos , præterquam episcopus , quia hi sunt tamquam duæ manus & duæ alæ , quibus episcopus volat . Sed quando episcopus ambulat siue in ecclesia , siue foris , oportet vt archidiaconus sit ad dextram , & chorepiscopus ad sinistram , & episcopus sit inter eos tamquam pater in medio filiorum . & qui non paruerit , Synodus eum excommunicat .

Hæc eo spectant , vt omnia honeste & secundum ordinem fiant in ecclesia , sicut Apostolus præcipit .

Nn iiij